

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO ETHICA, 4

De

RECTITUDINE  
MORUM;

Quam,

Divinâ favente Gratiâ,

*Cum consensu Ampliss. Facult. Philosophica,*

In Regiâ Academiâ Aboënsi,

SUB PRÆSIDIO

*Viri Praclarissimi,*

DN. ERICI FALANDRI,

Græcæ & Hebr. Ling. Prof. dexterrimi,

Facultatis Phil. h. a. Decani Spectatissimi,

Præceptoris & Promotoris

Multis nominibus plurimum colendi,

PRO GRADU,

Publicæ honorum censuræ submittit

OLAUS O. LAURÆUS, O. Bothn.

*Ad diem 9. Novemb. Anno 1678.*

*horis locoque solitis.*

ABOÆ,

---

Excusa à PETRO HANSONIO, Acad. Typogr.

VIRIS,

*Reverendâ amplitudine, venerandâ dignitate, præclarâ virtute & humanitate conspicuis :*

DN. ENEVALDO SVENONIO,  
S.S. Theol. Doctori & Professore celeberrimo, Ecclesiarum Aboënsium & Nummenſis Paſtori graviffimo,  
& Acad. h. s. Reſtori Magnifico :

DN. PETRO Wång / S.S. Theol. Doctori  
& Professore ampliffimo, & Ecclef. Marianæ Paſtori  
fideliffimo :

DN. JOHANNI GEZELIO Jun,  
itidem S. S. Theol. Doctori & Professore Extraord,  
laudatiffimo :

DN. JOSEPHO MATHESIO, Præposito  
& Paſtori Calajokenſi meritiffimo :

DN. THOMÆ RAJALENIO, Paſtori  
Tyrvenſium digniffimo :

DN. M. ISAACO FALANDRO, Paſtori  
in Vet. Carleby vigilantiffimo :

DN. M. JOSEPHO MATHESIO, Sacel-  
lano Pederlörenſi attentiffimo :

DN. GUSTAVO CAJANO, Communi-  
ſtro Lochtoënsium optimo :

Mæcenatibus, Promotoribus & Bene-  
factoribus ſubmiſſè & officioſè devenien-  
randis : Diſputationem hanc Grad. in do-  
bitæ obſervantiæ & grati animi ſignum,  
dedicat & offert

O. L.

## P R Æ F A T I O.

**E**quidem non existimandum est, me Argumenti hujus tractationem ideo suscepisse, quòd credam subtiliora illa studia, quæ maximam partem Logicis & Metaphysicis præceptis continentur, non satie digna esse, quibus studiosa juvenus tempus operamq; impendat. Scio enim, nec quemquam puto ignorare, non paucos in eam venisse persuasionem, ut asseverare non vereantur, duas illas, quas nominavi disciplinas, & quæ in aliis quoque paulo subtilius disputantur, tantum ad torquenda & fatiganda misera discipulorum ingenia esse conficta & excogitata. Nam licet otiosum istum inanum subtilitatum proventum & radiosam inutiliū terminorum faringinem rejiciendam & è medio tollendam esse eruditi concesserint; id tamen serio contendunt, quòd absq; abstrusioribus hisce studiis, eorumque in intimioribus recessibus solidam & non umbratili cognitione, ad veram eruditionis laudem nemo facile pertinget. Sanè, quamquam jejuna hæc omnique succu carere videntur, nec sola & per se humane societatis commodis usq; adeo servire putantur; talia tamen sunt, quæ reliquis studiis fundamentum ponunt, ingeniumque ad ea percipienda ita vel acuunt vel expoliunt, ut discamus intima rerum penetrare, & non in cortice, puerorum instar, hæere, nec quicquam pro vero amplecti, nisi

quod solidè demonstratum sit & ex fundamen-  
to ipso tanquam ad oculos patcat. Tamen si  
fatendum omnino est, etiam illos, qui solis sub-  
tilitatum tricis & sterili terminorum appa-  
ratu nimium delectantur, in morem vulpecu-  
lae, exteriora tantùm lambere, ipsum verò nu-  
cleum, variarumque rerum supellestem, &  
exinde ad omne vitæ genus redundantem fru-  
ctum attingere non posse. Itaque in subtilio-  
ribus hisce acquiescendum non est, sed ulterius  
pedem promoveri debemus ad cetera illa, que  
nunc humaniora licebit appellare. Et ea qui-  
dem non tantum subtiliores literas à malè sa-  
norum contemptu & dièteris vindicant, ea-  
rumque considerationi materiam copiosam &  
grata rerum varietate fecundam substernunt;  
sed & cultores suos tum Principibus tum ipsi  
vulgo præclaræ eruditionis nomine commen-  
dant. Quâ de causâ subtiliora cum huma-  
nioribus conjungenda esse arbitramur, nec al-  
terum præ altero vel eligendum vel elimi-  
nandum. Et quemadmodum non audiendos  
putamus eos, qui amplio rem quam solidiorem  
amant eruditionem; ita neque favere possu-  
mus illis, qui adeo rigidâ ἀκριβείᾳ & subtili  
acumine etiam in vulgus notissima & per se  
manifesta examinant, ut à cordatioribus non  
tam commendationē quàm risum mereantur.  
At quid ego tantò conatu de usu studiorum  
horum dissero, quibus tamen ipse leviter saltē  
tingit

*indivus sum? Sed me vel hoc nomine excusa-  
tum iri confido, quòd neutrum studii genus  
& damno, verùm id potius ago, ut utriq; suus  
constet bonos, sua utilitas. Ob eamq; causam  
in præsentihâc de RECTITUDINE MORUM  
dissertatione id opera mihi danda fuisset  
(quòd tamẽ me non præstitisse ingenuè fateor)  
ut in eâ & subtilioris & humanioris litera-  
turæ vestigia apparerent. Quamquam neque  
hoc mihi propositum erat, ut singula nunc ad  
vivum reserarem: nam sufficere in præsens  
existimavi, si ipsam Thesin saltem proponerem  
& utcunque delinearem, quæ crudita oppo-  
sitioni ansam daret. Sit itaque in nomine  
Domini,*

#### THESES I.

**Q**uemadmodum id brutis etiam animanti-  
bus insitum & innatum est, ut naturæ suæ  
ductû sequantur, & in ejus perfectionem unicè  
propendeant: Sic homini, reliquorû principi,  
hoc summopere incumbit, ut, ceu excellenti  
prærogativâ ista omnia superat & antecellit,  
ita naturæ, hoc est, Dignitati suæ congruen-  
ter convenienterque vivat. Hinc ergo ma-  
nifestum est, nos excellentiam præstantiam-  
que, quam summus rerum arbiter, præ illis  
omnibus, nobis indulfit, vindicare & tueri  
non posse, ni convenientem homini *Rectitu-  
dinem* sectemur, eamque illibatam servare

Audeamus. & animum cœlesti cognatione nobilitatum, ab iis avocemus fordibus, ad quas animalia rationis expertia, omni impetu & prono feruntur adpectu. Quamquam diffitendum omnino non est, si hominem ad tribunal seu Physicum seu Pneumaticum stiterimus, adeoque in statu suo naturali consideraverimus, cum vel Animæ rationalis excellentiâ multum eminere, multòque irrationalibus nobiliorem esse; sed verò, si ad forum Ethicum idem revocetur, atque ad præcepta moralia indoles ejus exigatur, jam tantum abest, ut sola vel Physica vel Pneumatica consideratio ullam illi dignitatem & præstantiam conciliet, ut potius dedecori & ignominie cum exponat, quod concessam à Deo nobilitatem ignobili & à naturâ sua dissidente vitâ commaculet & prostituat. Quin & hoc addo, si solo Rationis lumine homo superbiat, & tamen idem illud præclarissimum Dei donum nullâ recti appetitione imbuat, sed sædâ vitiorum colluvie inficiat & contaminet, tum infra brutorum sortem semet abjicit & ob aliam, eamque vitiosam, sibi superinductam formam, erit quasi monstrum informe, nec hominis appellatione, Ethicè loquendo, censebitur dignus: ideoque Cicero lib. 1. off. Quosdam non *re*, sed *nomine* tantum homines esse affirmat. *Moralis ergo Rectitudo* nos gloriæ &

& dignitati nostræ afferit & Divinæ imagi-  
ni, quantum fieri potest, conformat: reli-  
qua vero prærogativa, si spiritualem excipias,  
cum Pessimo quodque & flagitiosissimam vi-  
vente vitam, communis esse potest. Proinde  
pulcherrimum est hoc Isocratis monitum:  
*Ὀὐδὲ Φάινε Φιλοπύμενος Ἰπὶ τοῖς τοῖσιν, ἅ  
καὶ τοῖς κακοῖς Διαπραξάσθαι δυνατόν ἔστιν,  
ἀλλ' ἐπ' ἀρετῇ μέγα Φρονῶν, ἧς ἕδεν μέρος τοῖς  
πυνηροῖς μέτεστι.* Atque sic apparet, valde ama-  
bilem esse Rectitudinis hujusce faciem, quæ si  
oculis cerneretur, mirabiles sui amores ex-  
citaret, ut quod Plato de Sapientia dixit, idem  
hic paulo immutatum usurpare liceat. De  
cætero, quantum momenti in eodem illo vitæ  
Duce & morum Magistrâ positum sit, si com-  
munem vitam & humanam societatem respi-  
cias, vix dici potest. Nam ponamus aliquem  
in omnes omnium sapientum recessus pene-  
trasse, omnia legum decreta pervoluisse, om-  
nes prudentiæ rivulos delibasse, omnia ex-  
perientiæ latibula perreptasse; & eundem  
simul omnem rectæ indolis & bonæ mentis  
frugem neglexisse: Quis dubitabit illum, vel  
privatæ utilitati & libidini, vel vanæ ostenta-  
tioni litantem, quantum in se est, eò expedi-  
tius vera inversurum & falsis colorem addi-  
turum esse, quò literas & universam rerum  
faciem novit exquisitius? Ac proinde instar  
vene-

veneni est omnis ejus scientiæ & eruditionis copia, quæ non erit usufedponderi, damnumque Reip. dabit maximum, nisi ob pœnæ, legibus expressæ, metû, homuncio iste intra cutem se continere consultum ducat. Scilicet pro qualitate & indole cujuslibet arboris etiam fructus proveniunt, & de spinis uvæ expectari nequeunt. Rectitudo verò isthæc omnis scientiæ & actionum nostrarum quasi quoddam condimentum est, usq; & privatum & publicum bonum, ex præscripto legum & honestatis, promovere nititur. Sed jam fortassis propius ad rem, rei que naturam accuratius investigandam deveniendum erit.

#### THESIS II.

Ut ergo *Rectitudinis* rationem ex ipsis arcessamus initiis, præsciendum est, nos de illa nunc agere, quatenus reperitur, vel certè reperiri debet, in homine post lapsum, & quidem suis viribus innixo; nullo interim habito respectu ad gratiam regenerationis credentibus in Christum à Spiritu Sancto collatam; quippe quæ altioris est indaginis, & unicè ad Sacram spectat Theologiam. nobis vero incumbit Morum hanc Rectitudinem ad principia Philosophica examinare, quatenus & qualis ea in homine seu regenito seu irregenito naturaliter haberi queat. Per illam autem nihil intellectum volumus aliud, nisi *voluntatis & appetitus sensitivi*



*cum Rectâ Ratione & Lege Natura conformi-  
 tatem*, ut paulo inferius patebit. Nunc ve-  
 rò ipsa causa investiganda est, & primò qui-  
 dem ostendendum, *nobis moralem Rectitu-  
 dinem naturâ non inesse*, sed parari & acquiri  
 oportere. Faciles equidem concedimus, quòd  
*semina* ejus simul cum nascendi origine con-  
 nascantur; sed illa tantum potentiae rationem  
 subeunt, cui deinceps Rectitudinis habitus  
 superaddi possit ac debeat. Nam nisi ad fe-  
 mina ista interior cultura animi, maturior  
 disciplina & continua ad virtutem assuefactio  
 accesserit, tum opinione citius, vel in ipsa,  
 quod ajunt, herbâ supprimuntur, vel quan-  
 tò alioquin ad bonum videbantur proclivio-  
 ra, tantò celerius, sibi relicta, in avia & de-  
 via vitiorum abripiuntur. Et certè ita cum  
 mortalibus comparatum est, ut ab optimâ in-  
 clinatione naturali, sæpe facilimus sit ad al-  
 terutrum extremorum lapsus, ni Rectæ Rati-  
 onis moderamen innato semini maturita-  
 tem & perfectionem addat. Nam, ut exem-  
 plo rem declaremus, qui naturâ ad magna-  
 nimitatem & fortitudinem propendent, sicubi  
 matura institutio crescentem animi tumo-  
 rem non anteverterit & compresserit, cre-  
 scentibus annis ad superbiam & audaciam  
 declinabunt: sunt enim instar indomitum  
 & ferocientium equorum, qui, quantò na-  
 turâ robustiores melioresque fuerint, tantò

majori cum damno possidentur. Quamvis autem à bonâ indole non nisi bona quæque expectare meritò debeamus; quia tamen dicta illa Virtutum & Rectitudinis semina, in nobis, tanquam sterili quodam agro, insita & reposita sunt, in quo, velut minimè mollito & subactò, ex se & suâ naturâ crescere & adolescere nequeunt; Contrâ vero pravitatis & turpitudinis semina in corruptæ naturæ nostræ simeto, absque ullâ cultura, quasi sponte sua expectatione maturius maturescunt: quare cum his ita adolescere licet, illa cultu destituta vel profus suffocantur, vel à propriâ & nativa indole adeo degenerant, ut quò præstantiora fuerunt, eò efficaciora interdum vitiis alimenta ministrent. Atq; sic vel hinc apparet Rectitudinem moralem nobis non esse innatam, quod pluribus probare supersedo. Sed nec à temperamento corporis illam pendere, ullâ ratione demonstrari potest. Nullum quidem est dubium, quin magna vis in Corporis constitutione in utramque partem sita sit, quippe cujus partium prava temperies, ut Rationem ipsam enervare & usum ejus plane impedire, ob eamque causam voluntatem & mores nostros plurimum turbare potest; ita commoda ejus constitutio Rationis usum, adeoque actiones nostras juvare & promovere valet. At hinc tamen non sequitur, Rectitudinem morum

temperamento attribui debere. quanquam enim anima nostra, quamdiu in hac mortalitate versamur, corporis compagini, tanquam carceri, inclusa esse debet, & adhærescentes illi naves evitare nequit; ipsa tamen utpote morum nostrorum Dux & moderatrix, non ad serviendum sed imperandum ordinata, in corpus imperium nihilominus obrinere potis est. Arque sic in libero cujusque arbitrio situm est, pravam à temperamento ortam indolem vel supina negligentia alere atque fovere, vel assidua cura & industria suppressere. Cujus quidem rei, inter cætera multa, egregiam habemus exemplum in Themistocle, qui vitia ineuntis adolescentiæ magnis emendavit virtutibus. Vid. Corn. Nep. in vita illius.

### THESIS III.

Ex supposito jam fundamento manifestum est, ad parandam Rectitudinem morum *Affectionem* esse maximè necessariam. videlicet, cum neque naturæ, neque temperamento hoc negotiū tutò committere possimus, reliquum est, ut, quod inde desperamus, id diligenti affectione assequi studeamus. Eoque impensius id operam dare debemus, quod, ubi illam intermiserimus, jam ultro & absque ulla in eam rem adhibitâ curâ & diligentia, vitiositati & pravitati advescimus. Et ab his quidem vitiis maxi-

mè cavendum est, ad quæ nos naturâ procliviores deprehendimus, tantoque magis nitendum in contrarium, quantò majori cum dulcedine in animos nostros irrepunt. Nec à cōstanti assuefactionis proposito prius desistere fas est, quam acquisito habitu, cum promptitudine & jucunditate quadam nos Rectitudini litare animadvertimus; ne vitia, ceu extincta parum fideliter incendia, majori flammâ reviviscant: quippe à Dispositione, tanquam imperfectiori, facilimus est ad naturæ inconstantiam regressus, & celerrimus ad turpia quavis progressus. Dum autem pro arbitrio nostro quidvis faciendi libidini subinde fræna laxantur, vitiosum, è peccandi consuetudine habitum supervenire certum est. Hinc non satis culpari potest eorum temeritas, qui innata vitiorum semina in se suisque tenerrime fovent & nutriunt, existimantes rem parvi esse momenti, si ad tempus aliquantulum titillationi eorum indulserint; posse se, quando ita visum fuerit, fomites illos extinguere. Sed tanti equidem hoc ipsum est, ut quo sapius quis peccat, eò magis ei peccare allubescat, eoque minus de vita in melius commutanda cogitet: ita quidem, ut quilibet actus vitiosus, præsertim proæreticus, novum peccandi desiderium extulscitet. Cumque sic peccata peccatis cumulantur, & à quolibet iterato vitio vitiosè agendi deside-

riura

riū renovatur, tum perversa hæc consuetudo,  
quasi altera tandem natura existit, quam de-  
inde amplius exuere hoc opus hic labor est.  
Proinde non sine causâ in hunc modum scribit  
Seneca: *Desinit remedio esse locus, ubi quæ  
fuerunt vitia mores sunt.* Epist. 39. Quod  
ipsum minimè ignoravit antiquus quidam  
Philosophus, qui cum adolescentem quendam  
videret aleâ ludentem & liberius se gerentem,  
graviter eum objurgavit: interrogatus verò  
cur ob rem tam parvam adeo illū reprehende-  
rit? acutè respondit: *Non est parvum assvescere.*  
Scilicet hoc idem sanior Philosophia docet,  
quod iidem crebrò repetiti actus demum prò-  
prietudinem & habitum ad facilè & cum dele-  
ctatione agendum aliquid producunt. Ac quia  
voluntas ipsa vitioso isto habitu inficitur,  
atque ejus eligendi vis à bono in malum de-  
torquetur, idcirco tantò difficilius ad meli-  
orem frugem reducitur, quantò certius est,  
per inveteratâ consuetudinem etiam rō *velle*  
depravatum esse. Hæc occasione, priusquam  
ad cætera provehimur, quæri potest, quid cau-  
sæ sit, cur quidam jam inde ab ineunte ætate  
ad pravitatem morum aliis sunt propensiores,  
qui & eò majori cum difficultate Rectitudini  
adsvescunt? Hic sciendum est, omnes omni-  
nò æqualem peccandi proclivitatem è primæ-  
væ corruptionis labe traxisse, nec id Deo,  
omnis boni Authori citra blasphemiam im-  
puta-

putari posse, ideoque causam ejus aliunde petendam esse. Distingvendum ergo est, inter propensionem *innatam* & *acquisitam*: de illa omnes ex æquo paticipamus; hæc vero acquiritur, vel à parentibus, quorum prava indoles unâ cum lacte maternò in infantes sæpe derivatur; vel à nutricibus, quarum naturæ vitia ex uberibus simul cum lacte imbibuntur; vel denique, hoc quicquid est (quod certè maximum est) pravæ educationi & conversationi debetur. Attamen propensio isthæc maturæ assvefactionis beneficio corrigi & emendari potest, cum Animæ rationali nihilominus sua constet libertas atq; Dominium.

#### THESES IV.

Positâ & adstructâ causâ, quam in assvefactione sitam esse patuit, consequens est, ut paucissimis *Subjèctum* Rectitudinis attingamus, quod idem esse constat, atque virtutis moralis: idq; *Voluntatem* ipsam constituere asserimus, non obstante, quod diversum statuat Piccolomineus, aliique nonnulli. Non enim dubitandum est, etiam illam *Potentiam* habitu indigere, & eòdem perfici atq; adjuvari posse; cum alioquin ad bonum & malum indifferens sit; accedente vero habitu, indifferentia illa, in quantum libertas voluntatis permittit, ad alterutrum determinatur. Quando autè *Voluntas* rectè agendi promptitudine imbuitur, & virtutis, ceu sponsæ suæ pulchritudi-

rudine afficitur & delectatur, ad eamque constanti conatu fertur & impellitur, mox appetitus quoq; sensitivus Rectæ Rationis imperio paulatim se submittere & ad voluntatis accommodare placita assvescit. Equidem, licet appetitu rationali ad bonū jam determinato, sensitivus nihilominus refractarii & recalcitrantis equi similimus sit: tamē si constans sit Voluntatis in bono perseverandi propositum, fieri non potest, quin inferior illa & ad servendum destinata facultas superioris & liberè agentis regimen admittat. An verò propterea irrationalis iste appetitus Subjectum quoq; Rectitudinis pariter ac virtutis, & quidem secundarium, censeri debeat, ut vult Clar. Hornejus, de eo non admodū sumus solliciti, dummodo certum sit, eum Rationis imperio subigi atq; domari posse, & principaliori appetitui, in Rectitudinis studio, ministerialem commodare operam. Vendelini certè, ut ut impudentis alioquin Calvinistæ, super hac re tale extat Judicium: *Acquiris Voluntas habitum temperantia, crebrâ cupiditatum inferiorum moderatione, veluti crebrâ equorum agitatione eques habitum peritè equitandi comparat: qui tamen habitus propterea in equis non est, etsi ad obsequium disponuntur, ut & appetitus sensitivi.* Vid. ejus Phil. mor. Part. 1 lib. 1. & Cap. 3.

THESIS V.

Supra dictum est, *Reſtitutionem morum in conformitate cum lege Natura & Reſtâ Ratione* conſiſtere : & ad eundem quoq; modum ſcribit Ethicorum Princeps Hornejuſ Phil. Mor. l. 2. c. 7. §. 10. quod ut clarè & dilucidè conſpectu noſtro ſiſtatur, altius repetenda res eſt. Notum eſt, quod omni animantium generi Deus ter Opt. Max. jam inde à primordiis rerum, propriam & propriæ naturæ conſentaneam præſcripſit vivendi rationem, quam dum ſequuntur & tuentur, utique naturæ ſuæ debitum perſolvunt. Quia vero idem ille omnis boni fons & origo Deus humanû genus longè nobiliori & illuſtriori ornavit naturâ, ut quæ Creatoris ſui faciem & imaginem aliquo modo referret ac repræſentaret; talem proinde mentibus hominum impreſſit vitæ morumque normam quæ rationalis Creaturæ Nobilitati propria & accommodata eſſet. Atque hinc illud eſt, quod innata nobis habemus principia quædam præctica (de Theoreticis nunc non eſt ſermo) quæ omnibus ad eam naturâ nota ſunt, ut ſimulac Ratio ſe exerere & ſimplices terminos apprehendere inceperit, mox illorum quoque veritas abſq; ulla diſciplina & Præceptoris manu ductione percipitur. Vocantur illa alias *jus ſive Lex naturæ*, utpote quæ non tantum nobis ſuggerunt & oſtendunt, quæ honeſta ſunt & turpia; ſed

etiam



etiam ad sectandum illa & fugiendum ista, vi  
& autoritate supremæ, hoc est, Divinæ Ma-  
jestatis obligant & adstringunt. *Recta* vero  
*Ratio* nihil aliud est, quam *rectum iudicium*  
*intellectus de re illâ, quæ ex principiis natura-*  
*liter notis legitimè & necessariò sequitur.* U-  
trumque horum infallibilis norma & men-  
sura actionum morumque nostrorum esse  
potest: ita ut quicquid cum ea congruit, eiq;  
ex amissim respondet, id honestum rectumq;  
censeri debeat; quicquid verò à regulâ istâ  
discrepat, id tanquam à naturâ rationali ab-  
horrens & alienum, rejiciendum detestan-  
dumque sit. Nam postquam Deo propo-  
situm & decretum erat, ut hominem Rationis  
compotè crearet, qui communis cum Creatore  
suo Justitiæ ( licet in multò inferiori gradu )  
capax esset; non potuit alium vivendi modum  
ac regulam illi præscribere, quam quæ con-  
gruentem naturæ ejus honestatem ac Recti-  
tudinem ab eo exigeret: Non inquam potuit  
Deus sanctitati & justitiæ bellum indicere,  
nec voluit, ut homo talem viveret vitam, quæ  
hominis naturæ atque honestati repugnaret.  
Unde porrò manifestum est, planè immu-  
tabilia esse Legis naturæ & Rationis dicta-  
mina, adeo ut iis præcepta morum hone-  
stas & Rectitudo, neque divinam, ne dum  
humanam dispensationem admittat. *Sicut*  
*ergo, ut bis duo non sint quatuor, ne à Deo*

*quidem potest effici, ita ne hoc quidem, ut  
quod intrinsecâ ratione malum est, malum  
non sit; prout Hugo Grotius egregie & ner-  
vose lib. 1. de Jure Belli & pacis disputat.  
Nempe distinctum est hoc jus à positivo & vo-  
luntario, quod vetando quid illicitum & præ-  
cipiendo debitum facit; quæ autem jure na-  
turæ inculcantur honestorum & turpium dis-  
crimina, non pendent à libero Dei arbi-  
trio, nec à voluntariâ ejusdem impositione,  
ut placet non nullis; sed ex intrinsecâ qua-  
dam habitudine talia existunt; quod in se-  
quenti Thesi, præsertim ex Objecti considera-  
tione clarius evadet. Ex hæcenus dictis insu-  
per colligitur, quanta necessitas homini in-  
cumbat, ad præscriptum Rationis & naturæ  
à Deo impressæ legis, in moribus suis hone-  
statem & Rectitudinem servandi, adeo ut  
nullam excusationem, nullumve speciosum  
prætextum obtendere possit, qui contra eam  
prævaricari sustineat. Namque majoris fa-  
cienda sunt ejus dictamina quam ullius ho-  
minis, quamlibet in regîâ dignitate consti-  
tuti, mandata & authoramenta: præsertim  
quòd dicente Plutarcho: *παιὸν ἔστι τὸ ἐπειθεῖν  
Θεῷ, ἢ τὸ πείθεσθαι λόγῳ*, hoc est, *idem est  
sequi Deum & parere rationi*. Deo verò ma-  
gis quàm hominibus obediendum esse, vel  
Scripturæ Sacræ testimonio perspicuum est.  
Atque sic patere jam arbitror ad quam nor-*

mam Rectitudo examinari conformatique debeat, & quæ dictæ normæ sit ratio, quæque irrevocabilis observandi eam necessitas. Verum enimvero, ne forte quis existimet, Rectam Rationem & connatas nobiscum notitias, per Protoplastorum lapsum, ita debilitatas & depravatas esse, ut vix & ne vix quidem actionum morumque norma peti inde possit; pauca in eam quoque rem dicenda erunt. Ultrò equidem concedimus, Rationis lumen non parum à primævâ integritate defecisse, & offusâ per peccatum caligine obnubilatum esse: unde etiam multò, quam olim, difficilius verum advertere & bonum à malo discernere valemus; quia tamen lumen illud non penitus extinctum est (nisi fortè quis hominem planè in belluam descivisse crediderit) fieri non potest, quin superstites adhuc scintillæ, ad veri inquisitionem diligenter & seriò adhibitæ, boni malique differentiam indagare queant: quod licet expedite semper non fiat, verè tamen & rectè, præsertim quâ communissima morum præcepta, iudicium institui, nihil impedit. Quòd autem non omnes æque feliciter hoc in negotio progrediantur, sed sæpe falsissima pro veris amplectantur, ac prout diversa sunt capita, ita diversas quoque foveant opiniones, adeo ut pene omnem honestatis sensum apud quosdam exolevisse putes: hoc exinde oritur, quòd

non omnes in consiliis adhibent Rationem, nec quid ea agendum omittendumve svadeat, attendunt; sed quod pravæ eorum voluntati & vagis affectibus, fallaci aliqua specie maxime arridet & adblanditur, id avidè & absque evagatione arripiunt, atque ita sanum Rationis judicium & præviam ejus directionem præcipites anteverunt. Et quid mirum est eos, neglectâ hac directrice suâ, Rectitudinis viam, inoffenso pede, decurrere non posse? Ut enim oculus noster, quò eundum & quæ via tenenda sit, videre nequit, nisi aperiatur: ita neque Ratio, seu internus ille oculus, se unquam exerit, nec apparentia à veris discernit, nisi cum q. aperiatur & ad videndum adhibeatur. Nec verò credendum est, id omne Recte Rationis esse, quod cuiusvis sua suggerit *Opinio*: quod si ita esset, jam nemo in hoc Universo reperiretur, qui Rectitudinem investigando in errorem aliquem impingeret, sed quilibet pro cujuslibet *Opinionis* suæ dictamine semper verum assequeretur, licet conceptus omnium non magis inter se congruerent, quàm ædificatorum turris Babilonicæ; quod oppidò absurdum & planè ridiculum est.

#### THESES VI.

Cæterum ut aliquantò clarius appareat, unde, ad innatæ Legis & Rationis normam, Rectitudo potro æstimari debeat, observari  
heic

heic meretur Objectum cumprimis, & Circumstantiæ reliquæ, quibus ea specificatur, quæque indissolubili nexu cum eadem cohererent: Istæ verò pleræque trito hoc comprehenduntur versiculo: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* Nos reliquis omnibus brevitatis studio hâc vice omissis, saltem ad tres sequentes, easque potissimas, attendimus: *Objectum scil. Finem & Modum.* Quod objectum attinet, existimamus in eo maximum momentum ad specificandam Rectitudinem situm esse, quippe cujus intrinseca habitudo, actionibus nostris, cæteroquin merè naturalibus, moralitatem addit. Ut, E.G. *Dare, amare, honorare* sunt puri actus Physici, quibus in se spectatis nulla moralitas inest, adeoque nec boni sunt nec mali. Quodsi autem referantur ad debitum sibi objectum, utpote si dicas: *dare elemosynam, amare Deum, honorare magistratum;* jam actibus hisce moralitas accedit, videl. Honestas & Rectitudo. Nempe quia relatio quadam intercedit inter actiones nostras & accommodatum illis objectum, idcirco ex mutuâ utriusque seu congruentiâ seu discrepantiâ vel honestas vel turpitude resultat: sic, *laudare* est actio (sua naturâ indifferens & Physica, quæ si dirigatur ad proprium & conveniens sibi objectum, mox eadem inde moraliter bona evadit: hinc, *laudare bonos,*

ob mutuam actionis & objecti convenien-  
tiam honestum rectumque censetur. At verò  
cum eidem huic actioni à naturâ ejus discre-  
pans & abhorrens proponitur objectum, ex  
disconvenientiâ illâ pravitatem & turpitu-  
dinem oriri palam est; ideoque *laudare*  
*malos*, apud omnes omnino nefas habetur.  
De similibus idem esto judicium. Sed nec  
exiguam vim in eo positam esse putamus,  
quò *sine*, quâve *intentione* aliquid agatur.  
Non enim sufficit ejusmodi vacare actioni-  
bus, quæ ex objecto honesti rectique rationem  
induunt, nisi pariter id diligenter attendas,  
ut te ad Rectitudinis studium non tam ullius  
optatæ rei cupiditas & plausibilis impellat  
imago, quam ipsa nativa & pulcherrima Re-  
ctitudinis & honestatis facies alliciat & ex-  
timulet: quippe Bonum hoc revera tale est,  
quod propter semet ipsum expeti atque amari  
debeat mereaturque. Quocirca larvam tan-  
tum Rectitudinis ostentant, nec serîò, sed si-  
mulatò rem agunt, quibus curæ cordique non  
est cogitationibus & conatibus suis bo-  
num honestumque finem proponere, sed eos-  
dem ad ostentationis, voluptatis & utilitatis  
aucupium referre. Scilicet *actiones finibus*  
*discriminantur*, atque ideo, *Duo cum faciunt*  
*idem, non est idem*, ut habent trita Philo-  
sophorum axiomata. Denique nec præter-  
eundus est ipse *Modus*, stricte nunc ita dictus

& quatenus reliquis circumstantiis contradi-  
stinguitur. Non enim castigatæ vitæ, morumq;  
laudem quis merebitur si tantum *Bona* (ve ut  
propter bonum finem) faciat agatque; sed  
*Bene* insuper agendum esse, lex & sapientes  
monent. quod ut fiat, in hoc incumbere de-  
bemus, ut *Et scientes Et deliberato animo Et  
libera electione Et sponte suâ ad bonum pro-  
pendente Voluntate*, Rectitudinis viam insi-  
stamus. Requiritur namque ut animus ipse,  
utpote actionum nostrarum fons & origo,  
morum promptitudine imbutus & bene re-  
ctèque affectus sit, si modo boni aliquid in-  
de derivari debeat; cum ex animo malè affe-  
cto, non secus atque impuro & squalido fonte,  
non nisi impura & sordida quævis ebulliant.  
Qui ergo vel *impetu* quodam, vel *invitè*  
agunt ea quæ bona sunt, illi simiarum &  
Psittacorum instar bonorum mores vitamq;  
spuriâ imitatione sequuntur & virtutis exerci-  
tium adulterant. Quemadmodum autem  
non omnes *bona* facientes in *bonorum* & rectè  
viventium numerum referendi sunt, ita neque  
omnes *mala* designantes pro *malis* habendi:  
*Mali* enim proprie loquendo non sunt, qui  
subitis abrepti affectibus, per ignorantiam &  
ex infirmitate quâdam mali aliquid commit-  
tunt; sed qui destinato consilio & malitiâ  
provocati turpia designant: Siquidem in *allic-*  
non adeo libera voluntas turpis & inhonestæ

actionis causa est, quàm vel simplex ignorantia, vel aliud quidpiam præter voluntatem; unde qui hoc modo delinquunt, mox facti poenitentiam ducuntur & odio atque detestatione id ipsum prosequuntur. *In his* verò (puta ex proæresi & malitiâ peccantibus) perversa voluntas perpetrati facinoris causa & origo censetur: quò fit, ut mali & malitiosi Homines plerumque vitiis suis delectentur, non verò nauseam & detestationem eorum in animo concipiant. Atque ita potissimas Circumstantias jam attigimus, reliquis haud quaquam exclusis. Tantam enim oportet esse Rectitudinis cum normâ suâ conformitatem, ut ne unica quidem circumstantia omitti possit, quæ ad specificationem rei requiritur: Nam Lex Nat. non tantum, quæ facienda sunt, præmonstrat, sed etiam, *quando, quomodo, quo tempore & ubi &c.* Si ergo actio vel unguem latum à regulâ suâ discrepaverit, non potest non irregularis, adeoque inhonesta censeri: *Bonum enim ex integrâ causâ existit, malum vero ex quo-via defectu oritur*, ut passim docent Ethici. Cum autem omnes defectus à Rectitudine removemus, sciendum est, id à nobis fieri intuitu *perfectiōis partiū*, non verò *graduum*. Priori enim respectu, omnia illa requisita necessariò adesse debent, quæ ad naturam & essentiam Rectitudinis pertinent: Posteriori

autem



autem modo eam, pro diversitate subjecti, intendi & remitti certum est, salva interim manente ejus essentiâ.

#### THESIS VII.

Hactenus quidem leviter æque ac breviter indigitatum est, *Rectitudinem Morum* humanæ naturæ consentaneam & conformem à nobis requiri; Verum enimverò, quia præter *communem illam*, cuilibet homini *propria & singulari* à summo rerum Opifice, attributa est *natura*, non inutiliter me operam locaturum arbitror, si *Rectitudinem etiam naturæ cujusvis propriæ attemperandam esse* paucis ostendero. Diversitatem autem naturarum eruditè insinuat Cicero, lib. 1. Off. dum ita disserit: *Intelligendum est, duobus quasi nos à naturâ inducos esse personas, quarum una est communis, ex eo, quod omnes participes sumus rationis, præstantiæque ejus, quâ antecellimus bestiis, à quâ omne honestum decorumque irahitur & ex qua ratio inveniendi officii exquiritur: altera autem quæ propriè singulis est tributa, &c.* Sanè, quemadmodum in spiritualibus varia sunt *ἁρετιοματὰ πνεύματι & αἰσῶν*, sic naturam quoque & indolem nostram mirâ varietate distinctam esse voluit omnium rerum Dominus. Ac proinde licet in moribus & incli-

nationibus nostris multum ab invicem dis-  
sideamus, inde tamen inferri non debet,  
ob solam hanc dissimilitudinem quemquam  
vituperandum & vitii alicujus reum pera-  
gendum esse. Sed sicut innatæ legis in-  
stinctu omnes æquè obligamur rationali na-  
turæ congruentem transigere vitam, ita  
ejusdem quoque ductu quisque mortalium  
tenetur, *natura sua sequi semina*, nec quic-  
quam *invitâ*, quod ajunt, *Minervâ* tentare.  
Non enim committendum est, ut aliquid fi-  
ctum & simulatum in morum culturâ de-  
prehendatur, sed ut cuncta genuinâ & na-  
tivâ quadam facie appareant, quod ipsum  
non continget, si quid repugnante propriâ  
indole & adversante naturâ aggrediamur.  
Quod qui non observant, sed agyrtarû & hi-  
strionum ritu ad ista, seu peregrinâ seu dome-  
stica, se accommodant, quæ neq; nationi neq;  
inclinationi eorum conveniunt, illi *Decorum*  
atque τὸ πρῶτον turpiter violant, & semet a-  
liorum risui ac ludibrio haud immeritò ex-  
ponunt. Cum autem quemq; sua tueri debere  
asserimus, non simul omnia illa sequenda &  
servanda esse putamus, ad quæ naturali qua-  
dam propensione ferimur; sed ea tantum  
quæ per se vitiosa non sunt, nec in com-  
munem honesti regulam impingunt: Vel,  
ut habet Cicero, *sic est faciendum, ut con-*

*era universam naturam nihil contendimus,  
eâ tamen conservatâ, propriam sequamur.  
Vid. Cic. loco citato. Suam igitur quisque  
noscat ingenium, acremque se & vitiorum  
& bonorum suorum judicem prabeat; ne  
scenici plus quàm nos videantur habere pru-  
dentia. Illi enim non optimas, sed sibi ac-  
commodatissimas fabulas eligunt; ut monet  
idem ibidem. Pluribus hæc persequi insti-  
tuti ratio & injuncta brevitatis non permit-  
tunt: Tuum est, benevole Lector, quæ mi-  
nus accurratè in chartam conjecta sunt, pro  
candore tuo candidè interpretari. Quod  
superest, humili animo & nunc & sem-  
per deferimus*

*Omnem Omnipotenti Laudem!*

In eru-

In eruditam Dissertationem,  
Venerabilis & pereximii DN. CANDIDATE  
OLA I LAURÆI,  
Amici & commilitonis sui honoratiff.

**D**ifferis ne doctè de rectitudine morum  
Te celebrant charites, non sine ho-  
nore, DEæ.

Pallas ait: vitium tanto configitur abusu  
Si probitatis erit norma notata bene.

Nobile depositum calis LAURÆUS opimas  
Scicelidum è manibus jure reportet opes,  
Turba novens ipsi titulos nomenque parabunt  
Qua sint eximii, signa probata, viri,  
Ut pateat mundo, virtutis premia sancta  
Ulla quod intereant Marte vel igne. Vale!

OLAUS LAURÆUS  
per anagram.

Sol aureus, aula.

Dum pietate nites verâ, virtutis in aulâ,  
Sol Bothnico irradias aureus axe, reor.

Hæc pauca honoris ergo  
L. Mq; licet adversis impeditior  
scripsit

JOH. FLACHSENIUS.

3  
**Ε**ἰ καὶ ἄλλοις ἐγένετο πολμήσας λέγειν τὸν ἀν-  
 θρωπὸν εἶναι ἄλογον, ὅμως πολλοὶ ἔτυχον  
 πύτην ἔχοντες τὴν γνώμην, μετὰ τὸ φθάνο-  
 μείν τὰς πρώτων πλάσας ἔκ ἐνείναι τῷ ἀνθρώ-  
 πῳ τὸ λογικόν, καὶ μὴν ἐν τοῖς ἠθικοῖς καὶ  
 τῇ τῷ βίᾳ τέττα καλοκαγαθία. Τῷ δὲ ὡς  
 ἐστὶ ἄλοπον, πύτη τῇ συζητήσει ἀιδέσιμα κύριε  
 Λαυραῖε δείκνυς. (ὡεὶ γὰρ τῶν τῆς πίστεως  
 πραγμάτων ἄλλο δὴ λεκτέον.) εἰ γὰρ λογικός  
 ὁ ἀνθρώπος, καὶ λόγον ἔξει ὡεὶ τῶν ἠθικῶν  
 καὶ πολιτικῶν ὀρθᾶς κρινόντα καὶ ἰπιδεικνύντα  
 τὴν τῷ καλῷ καὶ αἰχοῦ ἀναφορὰν, καὶ ὅτι δεῖ  
 κατὰ λόγον ζῆν. ἔκ ἐστὶ ἄλομον τὸ σὲ ἐπιχεί-  
 ρημα, ἀλλὰ ὡεὶ τὸ κράτιστον τῆς φιλοσοφίας  
 ἀνατρίβεις. Τέττω σὲ πύτω Ἐ πάσαις σὺ ἐπι-  
 δαῖς εὐτυχίας προσεύχομαι. Ἐρῶσο.

*Venerabili ac Pereximio Dn. Candidato  
 amico meo honorando etc L. Mith  
 gratulabar*

ERICUS FALANDER.

**Q**uod pauci Inveniantur, qui honesta  
 à deterioribus, vultis à noxiis discernant,  
 ut notat Tacitus 4. Annalium, id exin-  
 de provenire arbitrantur cordati scri-  
 pto.

ptores, quod non adeo multi naturam  
sequuntur Ducem, nec de germana mo-  
rum rectitudine sunt solliciti, nec uti-  
lium declarationi rationem honesto-  
rum, consilio jus, actioni Decus adjij-  
ciunt. Enimverò quisquis piè, cordatè,  
prudenter, juxta conscientiæ & honesto-  
rū præcepta hoc vitæ decurrit stadium,  
confessione omnium celebris judicatur.  
At qui sordida vitâ, nulla pietate, per  
pravè facta tantum innotescit, etiam si  
sederet in apice gloriæ, inter lilia,  
tamen in divitijs inopiam, inter hono-  
res solitudinem, inter voluptates ex-  
perietur rædia. Utinam Sejani casus,  
apud Dionem, oculis omnium esset ex-  
positus, fortassis moneret, quid sit *non in-  
stare se gerere*. Igitur hæc quæ de mo-  
rum rectitudine egregiè scripseras, lau-  
dabunt illi, qui inventionem & styli  
filium saltem intelligunt. Sic enim re-  
vera statuo: *In Inventione veram constare  
gloriam, cui aliquid demum addere, non  
multum est difficile.* Vale

à Tui nominis fideli æstima-  
tore

DAN: ACHRELIO.

**O**mnis misericordis digni sunt illorum mo-  
 res & mentes, qui pro veritate vana so-  
 mnia amplectuntur. Os quidem & vultus  
 ad amicitiam, ad fidelitatem componunt, &  
 quicquid Sacrum est exterioribus gestibus fi-  
 gurant; dum praesentes sunt amicissimos se  
 esse vocitant & jurant, at à tergo fidem pro-  
 missam jugulant, famam proscindunt, & igno-  
 miniam amicis suam, si Dijs placet, officio, stu-  
 diose laborant, sibi imaginantes se solos esse  
 quorum caput Minerva omni sapientia adima-  
 plevit. Sed hi vero sunt, qui vitam vitijs  
 immersam agunt & devolvunt ab apice vir-  
 tutis in caenum vitiorum, donec cum ipsis unâ,  
 citò extingvatur, quamvis per fas & nefas  
 auctoritatem & gloriam suam tueri contentur.  
 At vera virtus immortalis persistit, cujus  
 amore cum ardeas Pereximie Patriota, etiam  
 Philosophicos honores pergis capessere. Gra-  
 tulator tibi istam mentem nulla malâ opinione  
 tinctam, votoque exposcam, ut Deus Te tem-  
 porali felicitate & tandem aeterna gloria  
 beet.

Raptim scripsit.

JACOBUS FALANDEE.

**D**um paulò attentius mecum considero  
& in memoriam revoco curam illam,  
quam de meâ salute ex eo tempore quò pri-  
mum in Academicam hanc societatem co-  
optatus sum, gessisti maximam & singularem;  
cumque tacitâ mente pervolvo, quam sincerâ  
familiaritate nunquam non me excepisti, &  
quam ardenti amore in me propendisti: non  
possum quin & maximas tibi agam gratias  
& affulgente latâ hâc occasione summo-  
perè gratuler, quod non in cassum labora-  
veris, sed pro curis & exantlatis laboribus  
Academicos reportes honores. Tantòque  
majori gratulatione dignus es, quod, pro ea  
qua es animi rectitudine, non permittis ho-  
nores tuos ambitionis & elatæ mentis vento  
ferri, sed admoveere tibi acerrimos ad pul-  
chra & præclara quævis sectanda stimulos.  
Tales enim omnibus votis & vocibus Cives  
exoptamus, qui ad honores non explendæ  
libidinis ergo, sed ornandæ & amplificandæ  
patriæ causa adspirant. Gratus igitur &  
exoptatus eris bonis omnibus, quocunque  
tandem te fata perduxerint, nec cuiquam,  
præter invidos, displicebis. Nolo te pluri-  
bus detinere, cum satis superque meum erga  
te jam dudum perspectum habueris animum.  
Vale.

*Sic Pereximio Dn Candid. Præceptorî  
veteri, merito gratulari voluit*

JOH. J. FORSMAN/ O-Bothn.